

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

DYSENTERIA.







TENTAMEN MEDICUM  
INAUGURALE,  
DE  
DYSENTERIA.

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES STARRAT,

HIBERNUS,

Hib. Med. Societ. Edin. Praef. Annuus;

Necnon

Chirurg. Obstet. Societ. Soc. Extraord.

————— “*Foedissima ventris*

“*Proluvies*” —————

VIRG. ÆN. Lib. 3.

Ad diem 13. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.



JOSEPHO CLARK M.D.

Parpetuum Noloemii Duriniensis

Medico Primario

Artis Obfervatiae

Praelectoris

Regiae Academiae Hibernicae

Socio

Viro

Litteris imputo humanioribus

Et

illibata vitae integritate

Ornato

Qui

Artis studio medicinae

Quam

Complures per annos

Feliciter fecit inchoare

Acce naturae ingenuae

Ornato dedit

Quodcumque hoc opusculum

Pertinet

Strenua quamplurimis obfervatiae beneficiis

Signum

Factum vult

Commississimus Johannis Sarsfield

Non diligens

JOHANNES STARRAT



JOSEPHO CLARK, M. D.

Puerperarum Nosocomii DUBLINIENSIS

Medico Primario,

Artis Obstetriciae

Praelectori,

Regiae Academiae HIBERNICÆ

Socio,

Viro

Literis imbuto humanioribus,

Et

Illibata vitae integritate

Ornato ;

Qui

Artis studio medicinalis,

Quam,

Complures per annos,

Feliciter fecit fausteque,

Acre natura ingenium

Omnino dedit :

Caducum hoc opusculum,

Pertenue

Mentis quamplurimis obstrictae beneficiis

Signum,

Sacrum vult

Conjunctissimus sobrinus amantissimusque,

Nec non discipulus,

JOANNES STARRAT.



JACOBO CLEGGHORN, M.D.

Rei Anatomicae, in Collegio

SACROSANCTAE INDIVIDUORUM TRINITATIS

JULI DUBLINUM

Professor

Societatis Medicae Dublinensis

Socio et patrono

Societatis Medicae Londinensis

Socio extraordinario

Juveni

Benigna ingenui vena

Quam

Scientiis, ingenioque artibus

Interemeris fide, morumque comitate

Instanter excoluit ornavitque

Præditis

Exiguum hoc antichiae signum

Benevolentissime

Offert

AUCTOR



Amico fido benevoloque

JACOBO CLEGHORN, M. B.

Rei Anatomicae, in Collegio

SACROSANCTÆ INDIVIDUÆQUE TRINITATIS

Juxta DUBLINIUM,

Professori,

Societatis Medicae DUBLINIENSIS

Socio et patrono,

Societatis Medicae LONDINIENSIS

Socio extraordinario ;

Juveni

Benigna ingenii vena,

Quam

Scientiis, ingenuisque artibus,

Intemerata fide, morumque comitate,

Insigniter excoluit ornavitque,

Praedito ;

• Exiguum hoc amicitiae signum

Benevolentissime

Offert

A U C T O R.



DE TENTAMEN MEDICUM

IN AUGURALE

D. E.

DYSENTERIA

**S**ANA canalis alimentarii conditio, ad sanum corpus conservandum, protus necessaria est. Eo enim canali male se habente, cibum et potum male concoquimus. Hanc ob rem, corpora nostra perparvulum accipiunt nutrimentum, macerant, infirmantur, atque morbis multigenis solito opportunior evadunt. Dysenteria itaque, quae est morbus status eius canalis, unde, per singulas corporis partes, nutrimentum digeritur, digna est cura, et ad praecavendum et ad tollendum, summam curam medicum impendant.

Hanc



# TENTAMEN MEDICUM

## INAUGURALE,

DE

## DYSENTERIA.

**S**ANA canalis alimentarii conditio, ad sanum corpus conservandum, prorsus necessaria est. Eo enim canali male se habente, cibum et potum male concoquimus. Hanc ob rem, corpora nostra perparvulum accipiunt nutrimenti, macrescunt, infirmantur, atque morbis multigenis solito opportuniora evadunt. Dysenteria itaque, quae est morbidus status ejus canalis, unde, per singulas corporis partes, nutrimentum digeritur, digna est cui, et ad praecavendum et ad tollendum, summam curam medici impendant.

A

Hunc



Hunc morbum adeo accurate et luculenter  
 definivit CULLENUS, ut, cum praesertim nil rec-  
 tius noverimus luculentiufve, ejus verba hic loci  
 citaverimus. ‘Pyrexia contagiosa; dejectiones  
 ‘frequentes, mucosae, vel sanguinolentae, re-  
 ‘tentis plerumque faecibus alvinis; tormina;  
 ‘ténismus.’

### HISTORIA MORBI.

Dysenteria, plerumque aestate, vel ineunte  
 autumno, homines invadit. Eam febris, inter-  
 dum intermittens, interdum remittens, comita-  
 tur. In eos potissimum ingruit, qui e morbis  
 revalescunt, vel quibus vires, quamcunque ob  
 causam, fractae magnopere fuerunt. Infeste ple-  
 rumque saevit, donec, hieme adventante, frigora  
 ejus iram compescant, et committant, ut omnino  
 decedat.



Dysenteriam saepissime antegrediuntur sensus frigoris ; horror ; plus minusve lassitudinis ; dolor capitis, dorsi, lumborumque. Haec brevi excipit calor auctus. Haud multo post subsequuntur immania ventris tormina ; quae interdum supra, interdum infra umbilicum, aegrotus sentit. Eodem fere tempore, frequente desiderandi desiderio ictus, alvum vacuefacere saepe conatur ; sed, ob urgentem tenesmum, fere nil, praeter intestinorum mucum, haud raro sanguine commixtum, intestinis simul multum crepantibus, excernit. Dejectiones, haud multo postquam invasit morbus, non amplius faeces naturales colore referentes, subfuscum sibi colorem, vel profunde flavum, ducunt.

Materia, per cursum morbi dejecta, permultum variat. Interdum solo e muco constat ; et, cum hoc fit, morbus sibi nomen *morbi mucosi*, seu, ut aliis placuit, *dysenteriae albae*, affecutus est.



est. Plerumque autem dejectiones nonnihil sanguinis sibi admistum habent; haud quidem raro se solo sanguine constant; et per morbum multo, quam naturaliter oportet, sunt foetidiores. Naturales faeces perraro excernuntur, vel, si in-  
 gente nixu unquam exprimantur, in duras massulas concretae apparent; neque, donec haec idoneis demissae sint medicamentis, morbus facile solvi potest.

Ineunte morbo, nausea, et biliosae cujusdam materiae, vel saltem bilem referentis, vomitus saepe aegrotum incessunt; quae excipiunt sitis vehemens, et ingratus ore sapor. Lingua interdum albido, interdum subfusco muco, obducitur; et, cum morbus longius processerit, nigrescit ficescitque.

Aegro quoque cibi appetitus deficit: Inquietudo eum fatigat: Inexplebilis desidendi cupi-

ditas



ditas subinde somnos interrumpit: Atque, has ob causas, vires ei magnopere infirmantur. Haec indicia, quibus morbus haud raro incipiens insignitur, excipiunt horror, crebri articularum pulsus, caeteraque febris signa. Non defunt exempla, ubi prius quidem, quam morbus ingruerat, alvus erat astricta; abdomen, praeter modum, plenum distentumque; ructu et intestinorum crepitu comitantibus.

Progrediente morbo, multi inanes alvum evacuandi nixus aegrotum inquietant. Inter desiderandum, substantiae quaedam texturae firmae solidaeque, quibuscum casei vel sevi massulis, magna est similitudo; una cum substantiis quibusdam aliis, membranulas vel cuticulas referentibus, quasque, ob speciem, e villosa intestinorum tunica constitui, nonnulli existimarunt; ex alvo dejiciuntur. Interdum quoque, eodem tempore, exprimitur liquida materia puri vel faniei



saniei similis. Plerumque vero parum excrementi, nisi post remedia purgantia adhibita, de-  
jicitur.

Multi, dum hoc morbo laborant, praesertim quibus tenera est aetas, ani prolapsu afficiuntur. Necnon et tumores haemorrhoidales, gravem secum dolorem afferentes, multos, potissimum qui in eos antea fuerint proni, vexant et infestant. Quinetiam urina difficile, et cum ardoris sensu, redditur. Ad hoc, cibus in ventriculum assumptus, interdum statim, et prorsus fere inconfectus, rejicitur. Haec denique signa, gravia tormina et tenesmus comitantur; adeo ut, aegro dolorem ei, ut putat, similem, quem sentiret, si revera torquerentur intestina, vel corpore exciderent, secum afferant.

Arteriarum pulsus raro fiunt pleni vel duri, nisi morbus vel robusto validoque incidat, vel



verno tempore oriatur. Indicia dysenteriae cum febre communia, vesperascente die, ingravescunt, et, sub antelucanas horas, nonnihil remittunt.

Omnia haec signa, ante mortem, multo evadunt graviora. Aegrotus moriturus torminibus et inani desidendi cupiditate tam frequenter infestatur, ut nullum doloris lenimen accipiat. Quod excernitur, id foetide et pessime olet; atque saepe, aegroto insciente, dejicitur. Pulsus arteriarum debiles fiunt et frequentes; sitis vehemens; lingua nigra aridaque. His accedunt ingens debilitas; egelidi sudores; vultus pallor; extremorum frigus; glutiendi difficultas; singultus; aphthae interni oris et faucium; abdomen magnopere tumefactum; delirium; doloris remissio. Haec omnia signa funestum morbi exitum antegrediuntur.



Dysenteria, pluribus vel paucioribus ex signis, quae recensuimus, eam comitantibus, cursum peragit. Variis autem temporibus metam attingit. Interdum enim, quatuor vel quinque diebus, interdum quindecim vel sexdecim, et interdum quidem multo ferius, aegroto mortem affert. Sive vero bonum habitura sit exitum, sive funestum, perbrevis, viribus magnopere infractis, miram et periculosam debilitatem efficit.

Cum dysenteria ad bonum exitum inclinat, omnia mitescunt signa: Leviora tormina et tenesmus evadunt; cupiditas desidendi minus frequens; quae dejiciuntur, ea naturales faeces magis referentia, minus, quam antea, sanguinis sibi admistum, et minus ingrati relictum odoris, habent: Cibi appetentia aegro non omnino deficit: Hic minus rariusque nauseat: Minus vehementer fitit: Gratissimus ei obrepit somnus, viresque reficit: Lentus dein erumpit fudor:

Dejectiones,



Dejectiones, cupiditate desidendi nunc minus importuna inexplebilique, rariores sunt; et quicquid excernitur, id excrementa naturalia magis, quam antea, et colore et spissitate refert. Haec signa levio rem morbum indicant; et aegro, etsi infirmae ei etiamnum sint vires, bonum augurantur.

Sive ad bonum, sive ad malum exitum, inclinēt morbus, aliquot post dies, tormina, quae initio totum fere abdomen occupare visa sunt, soli nunc hypogastrio, inferiori praesertim coli parti, aegroto sentiente, insident.

Cum dysenteria, autumnali tempore, ingruit, socia ejus febris plus minusve ad putredinem inclināt; sibi que intermittētis formam sive remittētis semper assumit. Inter febris accessus propria dysenteriae signa redduntur graviora.



Hic morbus interdum, dejectionibus, tormi-  
nibus, et tenesmo paulatim decrefcentibus, dum,  
eodem tempore, excreta naturalem speciem re-  
cuperant, fua fponde decedit. Alias autem, fig-  
nis levioribus, diu permanet; et in diarrhoeam,  
quam interdum comitantur inteftinorum laevi-  
tatis figna, definit.

### DIAGNOSIS.

Pauci funt morbi, quibus ulla, cum dyfentē-  
ria, fimilitudo intercedere potefl. Sed cum auc-  
tores quidam, *diarrhoeam* nil efle aliud, quam  
mitem dyfenteriae fpeciem, exiflimaverint; ut  
hic itaque loci, praecipua, quibus hi morbi,  
unus ab altero, dignofcantur, figna expediam,  
necefle efl.

Diarrhoea fine pyrexia incipit. Tormina et  
tenefmus, quae eam comitantur, multo, quam  
quae

quae dysenteriam, sunt leviora. Excreta quoque, in eo morbo, sunt, quam in hoc, copiosiora, multoque magis faeces naturales specie referunt.

Diarrhoea, credimus, raro, si unquam, pestifera est: Ministeria vero invicem et contagio dysenteriam saepe, totum per exercitum, et classem, vulgant. Praeterea, hi morbi eo differunt; quod, hoc praesente, quae dejiciuntur, ea ad putredinem sunt procliviora, plus sibi sanguinis admistum habent, atque, contra ac in eo accidit, induratas massulas forma referunt.

Verum, magnam tamen interdum esse unum cum altero morbo similitudinem, minime quidem denegari potest. Diarrhoea enim, cum signa vehementer ingravescant, nonnunquam, praesertim si a frigore inceperit, signa dysenteriae propria assumit. Contra, dysenteria, levior si sit, saepe definit in diarrhoeam.

Dysenteria,



Dysenteria, cum eo processerit gravitatis, ut nihil fere, merus nisi sanguis, dejiciatur, nonnihil quidem *haemorrhoidem* refert. At facile tamen hi morbi distingui possunt. Haemorrhoidis enim, quibusdam, circa anum, tumoribus, vehementes dolores afferentibus, quibusque nil, in dysenteria, simile obtinet, insignitur. Hujusmodi tumores, externi si sint, anum circumfundunt: Sin interne sint siti, dolores, quos moveant, ad infimam intestini recti partem semper ab aegro referuntur. Quin et, contra ac in dysenteria accidit, nulla tormina hunc morbum comitantur. Profluvium denique sanguinis, cum quo faeces naturales semper dejiciuntur, dolores haemorrhoidales mitigat.

Inter dysenteriam et *choleram* hoc plane interest; quod ea longior est, et quod biliosa vomitio, proprium hujus signum et constans, tantum adventitium est signum illius. Praeterea, cholera

lera urgente, nihil fere tenefmi adest; et quae excernuntur, ea semper copiosa sunt, et nonnihil semper bilis, raro autem aliquid sanguinis, sibi commixtum habent. Huc accedat, quod furarum nervorum distentiones, sine quibus cholera existere nequit, rarissime, si unquam, in dysenteria adesse observantur.

#### CAUSÆ REMOTÆ.

Hae sunt vel *praedisponentes*, vel *excitantes*. Ad primum genus potissimum pertinet debilitas, vel totius corporis, vel quarundam ejus partium. Quibus itaque causis haec efficiatur, nuncquam expeditissime anquirere aggrediemur.

Inter causas, quae, vires infirmando, homines dysenteriae obnoxios reddunt, magna sive corporis sive animi fatigatio, et vehementes omnes motus qui mentem contristant, recensenda sunt.

Nam



Nam hae causae, organa, quibus concoquuntur cibi, magnopere conturbant, atque vires et eorum et intestinorum in genere plurimum infirmant. Cibi itaque et potus, male concocti, cito acescunt; atque, eam ob rem, pyrofin, ructum, nauseam, et interdum quidem vomitionem, efficiunt. Haec enimvero mala, si, ob causas modo dictas, organa, quibus concoquimus, evaserint suis muneribus imparia, cito superveniunt.

Ebrietas, omni procul dubio, vires concoquendi proprias convellendo, homines ad dysenteriam pronos facit. Vinum certè, caeterique, *spirituosi* qui vocantur, liquores, parce si assumantur, ob vim, qua pollent, nervosum genus stimulandi, hoc minus contagioni caeterisque vires convellentibus opportunum reddunt; ideoque, ne morbus, quem hic agitamus, ingruat, aliquando obstare possunt. Veruntamen, nimium horum usum, totum corpus infirmare, atque,

atque, eam ob rem, irritabilius, nocivisque affici rebus aptius reddere, propria cujusque medicorum experientia satis quotidie superque ostendit. Debilitas, ex his liquoribus immodice assumptis oriunda, maxime afficit stomachum et intestina; propterea quod ipsis his partibus liquores directe, et parum mutati, admoventur. Bibuli itaque hujusmodi liquorum potores, frigori et humori si objectentur, magis, caeteris paribus, quam ficci et modice vinosi, dysenteriae patent.

Ex annalibus et medicinae et rerum bello gestarum perlectis, satis apparet, dysenteriam saepius in castra ingruere, ibique gravius saevire autumno, quam caeteris anni tempestatibus. Nam fere meridianis tum temporibus, calor; nocturnis atque matutinis, simulque etiam vespertinis, frigus est. Corpora ergo militum, et aestate et subinde meridianis autumnalibus



bus relaxata, subitis vespere frigoribus excipiuntur; ideoque potestatibus nocivis, et morbis inde nascentibus, solito redduntur opportuniora.

Haec ad morbum proclivitas, ex relaxatione et debilitate universi corporis, pendere videtur. Nimius aestatis calor, rariora corporis fluida reddendo, simulque resolvendo solida, id debile, languidum, et irritabile efficit. Tali corporis debilitate cordis actio et arteriarum magnopere minuitur; et, eam ob rem, homines putridis morbis solito opportuniores redduntur. In calidis itaque regionibus, iis potissimum, quae intra solstitiales metas sitae sunt, vires et mentis et corporis, praesertim per aestatem, languescunt. Homines, ab omni nisu et molimine abhorrentes, segnes fiunt desidesque. Naturales corporis functiones abnormiter peraguntur, simulque cibi appetentia plerisque saltem hominum haud parum minuitur. Afficiuntur quoque

que harum incolae regionum vehemente et fere assidua siti; quae partim ex caloris stimulo oritur, partim ex eo, quod rarissimae fluidorum partes, ob halitum per cutem calore adauctum, corpore exhalantur. Importunam hanc sitim et fere inexplebilem, duplici hac causa motam, coguntur laticis magnopere diluti potione depellere. Foecundi laticum dilutorum calices requiruntur, non modo ad sitim sedandam, sed ad dispendium quoque fluidorum, adaucto per cuticulares meatus halitu factum, refarciendum. Concoctio parum aequabiliter perficitur. Intestina se modo tardius solito astringentia relaxantiaque, faecibus stagnantibus et induratis obturantur; modo nimium incitata, hominibus omnia fusi ventris mala afferunt.

¶ Cursum humorum calore mutatum, plurimum, ad hanc debilitatem augendam, pollere verisimillimum videtur. Experientia enim do-



cet, excreta, qua ratione hic augeantur, prorsus eadem, alicubi reddi parciora. Exinde fit, ut, quo plus per cutem augeatur halitus, eo minus humoris in cava interna, in tubum praesertim intestinorum, excernatur. In calidis itaque regionibus, aestiva potissimum tempestate, humores, calore elicente, ad extremum corpus copiosius derivantur, et cutis vascula permultum distendunt. Haec vero diuturna, diutinam ob causam, distentio, tandem, ut vascula relaxentur, et nimis irritabilia evadant, efficit. Talis cutis vasculorum relaxatio fatis, in regionibus sub curru propinqui folis jacentibus, ex eo apparet; quod, corpore ibi quantulumcunque exercitato aut moto, cuticularis halitus adeo fere statim augetur, ut subito, sudoris forma, erumpat.

Ex his dictis, fatis nunc constat, totum corpus, sed, prae caeteris partibus, superficiem, si,

ut fervidas terrae partes incolentibus accidit, aestuanti coelo diu objectetur, nimiam sensibilitatem, propter quam contagione, caeterisque morbos gignentibus, facilius afficitur, accipere.

### CAUSÆ EXCITANTES.

Causa, cur dysenteria saepius autumno, quam aliis anni tempestatibus, ingruit, et ministeriis hominum invicem vulgatur, frigus, corpori noctu admotum, videtur. In terris enim, ad solem spectantibus, frigidae noctes subito calidos dies excipiunt. Vicissitudines aëris tam subitaneae, etiamsi tales non sint ut eas sentiat thermometrum; tamen, quin animantium corpora, ea praesertim hominum generis, manifeste et haud parum afficiant, dubitari non potest. Nocturnum frigus, etiamsi alternis dierum et noctium vicibus longum esse non possit, diutinos tamen, in corpus saltem humanum, effectus praestat. Vas-

cula



cula enim extremi corporis, nimis irritabilia antea calore reddita, vi, qua pollet, sedante constringit; atque, extremis vasis sanguiferis multum coarctatis, efficit, ut nimis humorum, interiores partes versus, refluat.

Praeterea, sua frigori sunt adjutoria, quorum ope effectus in corpus multo graviores, quam potuit solum, producit. Diurni enim soles efficiunt, ut ex terra marique plus humoris in vapores abeat, quam quod, per vesperam et noctem, aër suspensum habere potest. Quod ideo est nimium, id, vesperascente die, forma roris, ubertim stillat. Humor, inter rorationem, vestibis partim sorptus, corporis calore iterum in vapores dissolvitur; et frigus solito majus, et saepe quidem admodum nocivum, gignit. Pluvialis quoque humor, eo si corpus fuerit madefactum, eundem, ac ros, eandemque ob causam, effectum praestabit. Mala, quae subitaneae

coëli

coeli viciffitudines corpori afferunt, plurimum, fi hoc libero aëri ventorumve flabris objiciatur, augeri poffunt. Haec enim, aëra circum extremum corpus ambientem, eodemque calefactum, diffipantia, novo aëri frigidiorique locum dant.

Hoc modo exhalatio ab extremo corpore multum augetur; quod, ad et frigus ibi intendendum, ejusque effectus reddendum graviore, plurimum confert.

Hic morbus, in milites, et cum in castris commorentur, et cum ab iis revera belligeretur, faepius, quam in caeteros, faeviusque ingruere, videtur. Causa, cur hoc fiat, ex eorum vitae ratione petenda est. Ex multis enim miferiis aerumnisque, quibus et in castris et in acie premuntur, quaeque, una cum debilitate, calore gravibusque laboribus anteaetatis inducta, eorum corpora frigore affici aptiora reddunt; ex *spirituosis* liquoribus, quibus, quam poffunt faepiffime, fele dant, quibusque



busque ebriati debilitatique, humi temere, et aëri expositi, decumbunt; ex fomnis per saepe militariter interruptis; ex salitis carnibus, quibus, una cum ficcis cibariis haud concoctu facilibus, potissimum ab iis vivitur; ex inedia quam, comeatu deficiente, pati saepe, ex necessario, coguntur; atque ex eo denique, quod in castris, ubi plurimi unius contubernii hospitio utuntur, vivunt; plurimi morbi, et dysenteria imprimis, oriuntur, et ministeriis militum invicem, et contagione ipsa, quam citissime vulgantur.

Propter mirandum consortium, quod uni, cum caeteris corporis partibus, quidem remotissimis, intercedit, videtur, frigus, una cum humore, cuidam corporis loco admotum, fere aequè, ac si universo corpori applicatum fuisset, nocere. Ex hoc consortio fit, ut frigus quidem modicum, si corpori quidem humidulo admoveatur, intestina graviter afficere, et interdum vel dysenteriam excitare possit.

Ex signis, quae, urgente dysenteria, apparent, multa eorum opinionem firmant, qui acrem quandam materiem in corpore ingenerari, et in ipsa intestina excerni, existimant. Sed quali natura haec sit materia, vel quomodo generetur, vel quam ob causam intestina versus derive- tur; haec forsan, eas inter res desiderandas, la- tent, quas natura abditas recondidit; quasque si possemus explorare cognoscere, explicare quo- que possemus, cur materia *variolosa* corpore, cu- tem exulcerando, excernatur. Veri simillimum videtur, causam quae dysenteriam efficit, *perspi- rabilem* esse materiam, quae, quaedam ob causas, ne per cutem corpore eliminetur impedita, no- civas vires morando acquirit; quibus sensilem intestinorum, per quae, praeter naturam, cor- pore excernitur, membranam, et vasculis fere numero pluribus instructam, magnopere stimu- lat. Simul atque morbus ingruit, vel paulo saltem post, signa febris sese ostendunt; quae, dum



dum urget morbus, plus minusve gravia permanent; et, vasis extremi corporis constrictis, refluxum morbidorum humorum, intestina versus, motum sustentant.

Opiniones de causa hujus morbi variae fuerunt, et inter se dissidentes. Plerique, sed, ut videtur, inepte, *acrem bilem* dysenteriam, aequae ac choleram, excitare existimarunt. Dysenteria enim aliquandiu prius urget, quam ullae dejectiuntur faeces, quae bile commixtae videntur. Opinio modo dicta hinc orta fuisse videtur, quod ejus auctores, dejectiones bile, sub initium dysenteriae, coloratas, omnino ex hoc fluido constare, temere crediderunt. Quibus vero talis est opinio, ii in magna, ut videtur, causarum ignorance versantur. Profecto enim, ad auctam, urgente hoc morbo, humoris quantitatem, ex omnibus vasis fecernentibus, quae in tubum intestinorum hiant, effundi; et tantum viridem

a bile colorem, vel subviridem, sibi mutuare, veri quam simillimum videtur. Quinetiam experientia novimus, bilem, quoties solito uberius fecernatur, semper, nisi vomitum moveat, alvum ducere; ideoque, faecibus intestina vacuando, potius dysenteriam sublaturam esse, quam effecturam.

*Effluvium* quoque ex animantibus, rebusque quas gignit terra, putrescentibus, in aëra exhalatum, a quibusdam, pro causa dysenteriae, habitum est. Id enim, aiunt, intestina stimulando, ideoque, ut incitatus sese astringant relaxentque efficiendo, frequentes producit dejectiones gravioraque tormina, quae hunc morbum semper comitantur. Hic autem observandum est, acrida aut putrida effluvia, cum in intestina accepta sint, copiosas semper et crebras dejectiones elicere. Neque denegandum est, eos, qui hujusmodi effluviis multum objectantur, non



saepius, quam alios, in dysenteriam incidere. Hoc verum esse, satis ex eo liquet; quod, qui oleum ex cetorum adipe praeparando versantur, ii, etiamsi hic, et quia diu fuit in doliis servatus, et quia, mirum in modum, proclivis in putredinem est, quam maxime idonea sit materia, quae putrida effluvia emittat, hoc morbo rarissime afficiuntur.

Dysenteria saepe in multos eodem tempore ingruit; praesertim si idem iis sit genus vitae, eademque corporisque conditio. Per castra itaque saepe grassatur, et plurimos perimit. Inter plerosque convenit auctores, hunc morbum ex contagione potissimum oriri et vulgari. Verum etiamsi, quibus haec arrisit opinio, eorum plerique et ingeniis et fide sint praeclari, atque gravissima morbi stadia praesentes conspicati sint; tamen non desunt argumenta, ex quibus, morbum non, ut illis videtur, semper contagione disseminari, satis constat.

In valetudinariis enim, in quae ingens saepe numerus hominum, dysenteria aliisque morbis laborantium, constipantur, omnes fere aegri alvum in eadem latrina exonerant: Verum dysenteria tamen neque stipatione neque contactu aegrorum ibi vulgatur: Neque enim ii, qui aliis morbis implicantur, neque ii, qui necessarias res aegrotantibus ministrant, in eam incidant. In castris plerumque ingravescit, postquam milites fuerunt admodum fatigati vel frigoribus objectati. Praefectos vero raro corripit; non quia hi minus, quam gregarii milites, contagioni exponuntur; sed quia, rarius fatigati, lautiore salubrioreque victu, et calidioribus vestibus, utuntur. Minus itaque debilitati, minus dysenteriae, caeterisque pestiferis morbis, opportuni sunt.

Si certatur dysenteriam ex sola contagione oriri, arduum forsan erit expedire, cur, eo-

dem



dem tempore, in locis invicem longe remotis, inter quorum incolas nullum intercedit commercium, et in navibus abs terris et contagione longe diffociabili oceano abscissis, tam saepe lethifera oriatur et gliscat. Putrida effluvia, quae, ex aqua per rimas accepta, in navibus mrai ingenerantur, plerumque *typhum*, vel *continuanam* febrem, excitant. Contagio hujus generis morborum efficiens, quocunque anni tempore, si modo res circumstantes ejus generationem adjuvent, vel mari vel terra progigni potest. Contagionem vero dysenteriae effectricem, si quidem ex contagione hic morbus revera efficiatur, non, nisi in quibusdam aëris circumflui conditionibus, quae genetalia, unde vivifcat, semina quasi pabulo foveant, ingenerari posse, veri simillimum videtur.

Nautae, praesertim in calidis regionibus, alternis fere iisdem caloris et frigoris vicibus,  
quibus

quibus milites, objectantur. Dysenteria itaque saepe, per classes quoque, grassatur. Ob eadem vero causas, quae, ut modo diximus, praefectos terrestrium copiarum ab ejus impetu muniunt, praefecti navales raro in eam incidunt.

His de causis remotis dysenteriae *autumnae* observatis, nunc quomodo, quibusque ex causis, interdum, etsi rarius, *vere* ingruat, quam paucissimis dicere nostrum est.

Multi et praeclari quidem auctores, aestivos morbos autumnalesque putridi esse generis; hiemales autem et vernos, ad genus morborum inflammationem habentium rectius pertinere, censuerunt. Cur aestas autumnusque homines ad dysenteriam proclives reddant, rationem afferre supra aggressi sumus. Cur vero hiemalis tempestas et verna eidem morbo viam interdum prosternant, id manet dicendum.

Frigus,



Frigus, per hiemales menses, plerumque fere aequabile est, vel saltem parvulas tantum mutationes subit. Vi, qua polleat, tonica et stimulantē, corpus firmare, musculorum fibris vigorem impertire, ideoque homines in *phlogisticam*, ut vocatur, *diathesin* pronos facere, existimatum est. Vernum frigus, etiamsi non plus, quam hibernum, intendatur, tamen, ob vicissitudines subitaneas quibus est opportunum, plurimis corpus humanum malis afficit. Profecto quidem vicissitudines caloris et frigoris, verna tempestate, iis haud absimiles accidunt, quae in autumno observantur. Tunc enim gratum meridiei calorem frigida nox haud raro excipit, et horrores excitat. Qui itaque nocturnis vere frigoribus exponuntur, ii interdum in eisdem morbos, quibus autumno implicari solent, incidunt: Aliquanto autem rarius ea tempestate, quam hac; propterea quod vigor corporis, anteaetiae hiemis frigoribus firmati, cursum humorum, cutem versus, redintegrare potest.

Dysenteria eos, quorum intestinis antecedentes morbi inusitatam debilitatem et irritabilitatem induxerunt, quique, si levissimum quidem frigus corporibus admoveatur, diarrhoea et tenesmi signis facillime afficiuntur, prae caeteris, corripit. Inter vernam dysenteriam autumnamque hoc tantum interesse videtur, quod illa robustos praecipue afficit, et febre, graviolem inflammationem habente, stipatur; quam ob febre, plus sanguinis ex corpore aegrotantis detrahi, quam quod, in dysenteria autumnata, ferri possit, opus est.

### CAUSA PROXIMA

Dysenteriae videtur esse villosae intestinorum tunicae inflammatio; quam, pro gravitatis ratione, febris plus inflammationis minusve habens comitatur. Hanc opinionem et cadaverum incisiones, et causae remotae attente consideratae, confirmant



firmant stabiliuntque. Cadavera hominum, quos hic morbus abstulerat, incisa, signa exhibuerunt, ex quibus, partem coli, et intestinum rectum, fuisse inflammatione, ante mortem, affecta, clarissime apparet.

Celeberrimus Professor MONRO plurima suas praelectiones audientibus specimina, ex intestinis eorum, quibus dysenteria mortem attulit, praeparata, exhibet, quae opinionem, modo dictam, veram esse, fatis superque demonstrant. In horum compluribus, tunicae intestinorum sunt scabratae, inaequales, et, quam naturaliter oportet, crassiores; atque, in omnibus, tunica villosa percrassa existit, et, in locis quibusdam, parvae ejus partes quodammodo disjunctae, hic illic prominent. Si in vasa aliquid injiciatur, hoc statim per ora adeo ampla, ut oculis, vitreis auxiliis nullis, cerni possint, in cavum intestini effunditur. Haec ora, fuisse

erosione

erosione vel exulceratione extremitatum vasorum sanguinem vehementium patefacta, videntur. In multis cadaveribus, quae, paucis diebus post mortem, peritissimis fuerunt incisa anatomicis, signa, quae sese incidentibus obtulerunt, tunicam villosam, eam praesertim infimae coli partis et intestini recti, fuisse, vita adhuc manente, aut gravi inflammatione, aut exulcerationibus, aut erosionibus, aut denique gangraena affectam, monstrarunt.

Intestina tenuiora, excepta ea ilei parte, quae in caecum coli caput desinit, raro, cadaveribus inspectis, ullam a dysenteria injuriam accipere visa sunt. Hujus vero ilei partis tunica interna fere erat, praeter naturam, rubra : Et, in quibusdam cadaveribus non, ante quartum quintumve post mortem diem, incisus, colon quoque et intestinum rectum solito erant rubriora. Vasa sanguifera iis propria, sanguine, praeter modum,



distendebantur; sed ab exulcerationibus omnino vacua. Verum ileus tamen interdum exulceratus repertus est; quod, dysenteriam non semper soli colo et recto insidere, sed nonnunquam quoque infimam ilei partem afficere, fatis probat.

Ex his signis probe perpensis, atque ex torminibus universum abdomen, primo morbi incursu, afficientibus, et, cum morbus aliquandiu progressus sit, infimam tantum coli partem et intestinum rectum occupantibus; fatis apparet, inflammationem, quamvis levem, totum canalem intestinorum, sub initium morbi, permanere; et, cum sit longius a morbo processum, tenuioribus intestinis relictis, plerumque colo solum et intestino recto insidere.

Haec inflammationis, ab uno ad alium locum, translatio, cum CULLENIANA erythematis defi-

nitione

nitione congruere videtur: Quocirca, inflammationem, quae, urgente dysenteria, villosam intestinorum tunicam occupet, ad genus inflammationis erythematicum proprie pertinere, ut credamus adducimur. Verum, ex multis tamen rebus quae, cadaveribus hoc morbo mortuorum sectis, in conspectum veniunt, satis constat, alius interdem, quam per tunicam modo dictam, penetrare, etiam ad musculosam tunicam usque; ubi profusionem sanguinis, exulcerationes, et haud quidem raro maculas emortuas, quae omnia, morbo per diversa stadia procedente, deinceps accidunt, efficit.

Praeclarus CULLENUS, quem hoc opusculo inornatum filere non possum, hanc rem tractans, ait, ‘ That the proximate cause of dysentery, or at least the chief part of the proximate cause, consists in a praeternatural constriction of the colon, occasioning at the same time  
‘ those



‘ those spasmodic efforts which are felt in severe  
 ‘ gripings, and which efforts, propagated down-  
 ‘ wards to the rectum, occasion there the fre-  
 ‘ quent mucous stools and tenesmus \*.’

Quamvis hunc auctorem plurimi faciam, mul-  
 tumque ex ejus praelectionibus utilitatis perce-  
 perim, tamen, hac de re, cum illo convenire  
 non possum. Eodem vero tempore confiten-  
 dum est, quaedam e signis, quae hunc morbum  
 comitantur, quandam esse coarctationem inte-  
 stini recti et infimae coli partis, ostendere, quae,  
 ne faeces copiose dejiciantur, impediendo, mor-  
 bum sustentet intendatque.

Verum, hoc concessio, neque quid amplius,  
 integra veritate, concedere possumus, coarctatio  
 modo dicta, cur, cum urgeat dysenteria, inte-  
 stina crassiora erosionibus, tuberculis, et gan-

graena

\* Vide First Lines, par. 1078.

graena plus minusve vehemente, afficiantur, quae in cadaveribus omnium dysenteria mortuorum aspici possint, minime expedit. Haec enim omnia inflammatione efficiuntur, neque spastica intestinorum coarctatione oriri possunt.

Haec villosae intestinorum tunicae inflammatio vim eorum musculorum contractilem intendere videtur, ideoque eam efficere coarctationem, quae, sectis cadaveribus, interdum in conspectum venit. Haec coarctatio, effectus potius quam causa inflammationis, etiam cum inducta fuerit, non diu perstare, sed vel acrimonia quae secretis insit fluidis, vel induratis faecibus abrasam tunicae villosae membranam infricantibus, moveri, videtur. Iisdem causis, quibus inducitur coarctatio modo dicta, tenesmus et tormina attribuenda sunt.

Sanguinem, dum hic urget morbus, nunquam

per



per modicum quidem spatium temporis, prius, inter desidendum, ex intestinis profundi, quam haec plus minusve exulcerata vel erosa fuerint, haud vero abfimile videtur.

### EXPLICATIO SIGNORUM.

*Tormina*, quae hunc morbum ab initio comitantur, ex acri materia ipsis intestinis contenta, et villosam eorum tunicam, quam inflammatio nimis sensilem reddidit, irritante, videntur oriri. Ipsa haec sensilitas ex eo proficiscitur, quod inflammatio, naturalem mucum, qui in intestinis, haec ab acribus quibusdam vel ingestis vel ingeneratis muniendi causa, secernitur, vel solito parciolem reddit, vel, ut fiat acris, efficit.

*Sanguis* faecibus commixtus, nisibus aegri, intestina evacuare conantis, potissimum attribuendus est. His enim nisibus vasa sanguifera, ampli-

amplitudine differentia, rumpuntur. Ulcera, quae ruptis partibus superveniunt, magnam sanguinis, necnon puris sanieive, quantitatem, quae, durante hoc morbo, ex intestinis profunditur, suppeditant.

Colon et intestinum rectum, quoties his infideat morbus, permultum *coarctari* videntur. *Peristalticus*, ut vocatur, motus magnopere minuitur, et forsan quidem ex toto invertitur. Retinentur itaque induratae faecum massulae, et, partes inflammatione correptas premendo, tormina efficiunt tenesimumque, quae aegrotum, dum perstat morbus, infestum habent. Hoc verum esse, satis ex eo apparet; quod, simul ac hae massulae, five natura five medicamentorum ope dejectae sint, aegrotus nonnihil levaminis sentit; quodque, his iterum collectis, morbus denuo ingravescit.

*Tenesmus,*



*Tenesmus*, quo dysenteria insignitur, ab inflammatione, qua afficitur rectum, oritur. Hoc enim inflammatum, et ideo, praeter naturam, irritabile factum, res acres inferiora intestina, ut corpore eliminantur, petentes, magnopere irritant; atque frequentes dejectiones, anique prolapsus, quibus, dysenteria praesente, vexantur pueri hominesque debilitati, efficiunt.

*Stranguria*, originem ex consortio quod, urgente dysenteria, vesicae est cum intestino recto, ducit. Neque quidem vero ab simile est, vesicam, ob hoc consortium, vera interdum inflammatione affici.

*Massae faecum induratae*, quas dysenterici dejiciunt, sibi, ex faecibus diu in cellulis coli stagnantibus, et hujus musculorum actione compressis, formam accipiunt.

Quibus

Quibus rebus consent *crustae membranaceae* et *filamenta*, quae, dum urget dysenteria, tam saepe deji-  
ciuntur, et quo modo figurentur, de his, in partes quam maxime contrarias, ab auctoribus disputatum fuit. E villosa intestinorum tunica abra-  
sa constare, quidam existimarunt. Eruditus vero MONRO rectius censet, partes, quibus haec constituantur, lympham esse sanguinis, et intestinorum mucum; quae solito copiosius secreta, et in intestina infusa, vasculis lymphaticis tenuiores eorum partes absorbentibus, membranulas, filamentaque modo dicta, componere et formare possint. Massae quae caseum vel fevum specie referunt, quaeque interdum a dysentericis deji-  
ciuntur, ex iisdem, forsan, rebus, tantum diutius in cellulis coli retentis, ibique ad casei seu fevi speciem figuratis, constant.

*Exulcerationes et erosiones*, quae, cadaveribus incisis, conspiciuntur, a villosae intestinorum



tunicæ inflammatione oriri videntur ; quæ, sese in tunicam nervosam et musculosam diffundens, abscessus efficit ; qui, etiamsi initio parvi, tamen, ob acrem quam progignunt materiam, ob induratas faeces eos irritantes, ob humorum, denique, ad putredinem proclivitatem, quæ hunc morbum comitatur, brevi latissime serpunt.

*Aphthæ*, quæ, cursu morbi fere peracto, in ore et faucibus apparent, quæque funestum exitum plerumque prænunciant, eadem, forsan, quæ intestina corripit, inflammatione has partes occupante efficiantur : Neque quidem vero absimile est, totam internam superficiem canalis alimentarii inflammatione affici : Etiamsi, verane sit hæc opinio, necne vera, id nondum ex sectis cadaveribus satis apparere, confidendum fit.

R A T I O

## RATIO MEDENDI.

Ut dysenteriam curent, medicos oportet,

*Primo*, Inflammationem compescere, et paroxysmum arcere :

*Secundo*, Internam intestinorum tunicam a rebus quibuslibet acris secretis munire ; et tormina tenesumque reddere leviora :

*Tertio*, Vires aegroti per cursum morbi, quantum fieri possit, sustentare ; et, morbo sublato, ne redeat, praecavere.

## CONSILIUM PRIMUM.

Cum proxima dysenteriae causa in inflammatione villosae intestinorum tunicae poni videatur,



tur, si arteriarum pulsus creber sit durusque, et si aeger sit robustus atque plenus, parva sanguinis quantitas detrahatur. Hoc vero remedium raro dysentericis proficit. GREGORIUS ingeniosus observat, semper memoria tenendum esse, ‘Tantam saepe, quasi puncto temporis, ab in-  
 ‘tempestitiva sanguinis abstractione, corpori in-  
 ‘ferri perniciem, quantam neque optimi medici  
 ‘peritia, neque omnia medicinae subsidia, pos-  
 ‘tea compensare potuerint. Nam, ut sanguis  
 ‘semel missus nunquam in venas redit, sic ne-  
 ‘que vires cum illo amissae in variis morbis un-  
 ‘quam refici possunt.’

Si morbus brevi tantum persistiterit, neque appareant signa, quae intestina exulcerari ostendant, tum fluida ab intestinis, extremum corpus versus, idoneis medicamentis derivare medicum oportebit. Hoc consilio *vomitiva medicamenta* parvis dosibus, et subinde iteratis, adeo ut nau-  
 seam

scam tantum et alvum moveant, optime adhibentur. Ad haec efficienda, *tartarum emeticum* aqua liquatum, ob miram, qua polleat, vim fluida, cutem versus, eliciendi, plurimum potest.

*Ipecacuana* quoque aliquod sibi nomen affecta est; et fuerunt, qui, eam speciales quasdam dotes dysenteriae quam inimicissimas possidere, existimaverunt. Sed, me saltem opinante, nil est, cur eam caeteris medicamentis vomitoriis, praesertim tartaro emetico, quo minus forsitan possit, anteponeremus.

Quum vero tartarum emeticum, merum dysentericis si adhibeatur, molesta quaedam, post actionem ejus, signa relinquat, insignem velut debilitatem, ad vomitionem ex levissimis causis proclivitatem, frequentes acidi fluidi ructus, inflationem stomachi et intestinorum; quo haec mala vitentur, pauxillum *ipecacuanae* tartaro emetico com-

mixtum



mixtum adhibere, factu optimum videtur. Hoc medicamentum, quod et levem vomitionem ciet, et halitum per cutem elicit, vespere, ante usitatum tunc mali accessum, optime opportunissimeque dari potest.

Dysentericis, ut, intestina evacuandi causa et inflammationem reprimendi, *cathartica medicamenta* assumerent, multi medici praeceperunt. Hujus generis remedia, induratis faecibus intestina vacuefaciendo, irritationem, praesentem inflammationis causam, tollunt aut minuunt. Acris vero cathartica, quippe cum, intestina stimulando, multum aegro noceant, longe mitibus posthabenda sunt.

Cathartica, quae, quia alvum et leniter liquant, et vi pollent urgentem minuendi inflammationem, dysentericis plurimum proficiunt, sunt *sal Glauberi, sal catharticus amarus, et oleum ricini.*

Si

Si vero haec alvum non fatis vacuant, auxilium ab acrioribus petendum est.

Medicamenta quoque *laxantia* multum profunt, quippe quia, ut innumera fere vascula, quae in intestina hiant, et copiosiore mucum, et naturali similiorem fecernant, efficiunt.

Cathartica medicamenta mane, postquam medicamentum vomitorium suos effectus praestitit, commodissime assumuntur. Alterno quoque die, vel rarius saepiusve, prout res postulent, iterum assumi debent. Quantum aegroto profint, ex induratis massulis dejectis cognosci potest; quo enim magis intestina his vacuant, eo plus proderunt.

Cum morbus veteraverit, *sales medii*, quippe qui interdum inflationem stomachi et intestinorum efficiant, commode adhiberi non possunt.

Tum



Tum eorum vice *jalapium*, vel *radix pontica*, utilissime fungentur. Haec, etiamsi ejus usum quidam reprehendant, et ipsa, et tinctura ex ea praeparata, parvis dosibus, et post idonea intervalla, adhibita, alvum modice liquant; et dysenteriam, praesertim longam, saepe, post caetera cathartica frustra adhibita, tollunt.

### CONSILIUM SECUNDUM

Duplex est: Ut id enim efficiant, et intestina ab acribus munire, et tormina et tenesimum leviora reddere, medicos oportet.

Quae ad intestina ab acribus materiis munienda plurimum pollent remedia, ea sunt *diluentes*, ut vocantur, liquores: Quorum optimi, ii sunt, in quibus res mucilaginosae, gummi velut Arabicum, et Tragacanthum, liquantur.

His

His accedat succus e lini femine aqua bulliente macerato elicitus. Lactis quoque et butyri ferum, utpote quod et putredini obstat, et alvum modice liquet, dyfentericis nonnihil proficere existimatum est.

*Clysmi*, cum morbus infimae coli parti et intestino recto infideat, permultum prodesse videntur. Oleosi et mucilaginosi caeteris anteponendi sunt; et, quia alvum, aliqua ex parte, subducunt, dum, eodem tempore, partem inflammata[m] haud multum stimulant; et quia, eandem hanc partem ab acris stimulantibus, et induratis faecibus irritantibus, muniendo, vice naturalis muçi quodammodo funguntur.

Eodem consilio clysteres, ex amylo quoque praeparati, adhibiti sunt. Hi vero, quia brevi postquam immissi sunt, tenesinum efficiunt, minime aequae, ac jam dicti, profunt. Plus, forsan



proficerent, si pauxillum opii iis adjiceretur; quia, ob hoc adjectum, plus ad tormina et tenesimum leniendum pollerent. Hujus vero generis clysmorum parva tantum quantitas injici debet: Aliter enim periculum est, ne nimia mole intestinum nimium distendant, et partes inflammatione correptas irritent.

Opium, ad clysmi modum, commodissime adhibetur; quia, hoc modo datum, nec nauseam excitat nec vomitum, nec alia ventriculi mala, quae, ore assumptum, saepe efficit. Veruntamen, per totum dysenteriae autumnalis cursum, opium per os in ventriculum tute, et quidem commode, assumi potest, si una cum eo assumantur cathartica medicamenta, ut intestina induratis faecibus stagnantibus non perquam distendantur. Profecto quidem, quin opium, quocunque modo in intestina introferatur, unicum sit remedium, quo tormina et tenesimus, sive in  
hoc

hoc five in caeteris eorum morbis, levari possunt, a nemine nunc dubitatur.

*Balneum tepidum* quoque, tormina intestinorum levando, et constrictionem solvendo, non nihil dysentericis proficere existimatum est. Ob magnam vero debilitatem quam iteratus ejus usus efficit, et quia in id commode descendere aeger interdum non potest, omnino omittatur. Pro eo *fomenta*, quae optandos omnes ejus effectus, sine vitandis, praestant, commodius adhiberi possunt.

*Vesicatoria*, si dolor in una parte fixus maneat, saepe perutilia sunt. Si enim parti affectae superimponentur, dolorem plerumque tollunt vel mitigant.

*Magnesia*, quoties stomachum acidis infestari appareat, commodissime adhibetur. Ex hac  
enim



enim et acido in stomacho conflatur sal tertius, qui alvum modice subducit, atque, eam ob rem, laboranti multum prodest.

*Potio cretacea*, si morbus diu permanferit, magnesiae anteferenda est; si, eodem tempore, quo aeger hac utitur, mitia cathartica, qualia alvum leniter liquent, assumantur.

### CONSILIUM TERTIUM.

Hoc exequi magnopere optandum, sed imprimis difficile, est.

*Carnes*, si pyrexia morbum comitatur, assumi non debent. *Jus* vero, in quo carnes coctae fiat, utilissimum esset; et quia vires aegroti reintegraret, et quia intestina ab acris et irritantibus materiis quodammodo muniret. Cum

morbis

morbis est mitior, hujusmodi jus, in quo hordeum vel oryza cocta fit, aptissime et utilissime adhiberi potest. Sorbitio ptisanæ quidem et oryzae, aliorumque farracei generis, per se in ventriculum assumpta, facile acescit. Sin cum ea carnes coctae sunt, hanc ad putredinem proclivitatem, magna ex parte, amittit.

*Lac* initio morbi caute adhibendum est. Si vero vetustior morbus est, sorbitio oryzae vel ptisanæ cum lacte utilissime dari potest; et praecipua victus pars ex ea constare debet. Lac quidem aqua calcis commixtum cum fructu adhibeatur.

*Cortex Peruvianus* et *vinum*, simul atque inflammatio intestinorum conquieverit, et revalescat aegrotus, si nil eorum usui adhuc obstet, large adhibenda sunt. Multus horum enim  
usus,



usus, ad vires labefactas revalescentis restaurandas, plurimum potest \*.

*Astringentia*, quoties morbus a laxitate vasorum pendere videatur, nonnihil profint. Inter eorum vero usum alvus modice subducenda est, quo nullum ab usu astringentium detrimento aeger capiat.

*Vomitoria medicamenta*, si febris, quae dysenteriam comitetur, ad genus *remittentium* vel *intermittentium* pertineat, talibus dosibus, quales nauseam tantum moveant, prius adhibere, quam febris accessui cortice Peruviano obsistere conentur, medicos oportet. Quo vero nauseam cientia, hoc consilio data, ne rejiciantur, sed in intestina descendant, opium commodissime iis adjiciatur.

Quo

\* Vid. cl. Hom. Princip. Medicin. p. 144.



Quo morbus ne redeat, convalescenti, ut nunquam se fatiget; ut exercitatione, cis fatigationem et quidem lassitudinem, utatur; ut indusio laneo semper amiciatur; ut inferiora membra, praesertim pedes et crura, a frigore et humore muniat; praecipere medicum oportet.

## F I N I S.

## CORRIGENDA.

Pag. 5. lin. 13. *pro quibuscum lege quibus, cum*

25. 1. *pro mutuare lege mutuari*

26. 11. *post corporis dele que*

27. 3. *pro constipantur lege constipatur*

— 8. *pro incidant lege incidunt*

28. 7. *pro mrai lege mari*



